

PLAVTINORVM
CVPEDIORVM FERCVLVM
SEPTIMVM.

AD
ORATIVNCVLAS
QVINQVE ADOLESCENTVM
SCHOLAE THOMANAE
PVBLICE VALE DICENTIVM

DIE II. MAIL. A. CHR. MDCCCXVI.



HORA IX. MATVTINA
A V D I E N D A S
MODESTE INVITAT

FRIDER. GVILIELM. EHRENFR. ROSTIVS
RECTOR.

LIPSIAE
EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

1816.

db

LEIP
11 (1816)

PLAVTINOV M
CARNIDIOROV
MAY 18 1871

GRATIA
MAY 18 1871
MAY 18 1871

MAY 18 1871
MAY 18 1871
MAY 18 1871

MAY 18 1871
MAY 18 1871



EPIDIC. II. 2. 45. 46. et sequ.

*Quid istae, quae vesti quotannis nomina inveniunt nova?
Tunicam rallaam, tunicam spissam, linteolum caesicium, etc.*

Istam ἀνακολῶθειαν, quae in his verbis inest, plerique interpretes tacitam praeterierunt, nulli, quantum intelligo, in bono lumine collocaverunt. Nam quae loci sententia sit inventu facile est, quomodo autem vocabula *quid istae*, quae interrogationem aliquam ordiri manifesto significant, cum reliqua oratione cohaereant, in obscuro latet. Equidem mihi videor hic loci deprehendisse vestigium elegantis illius formulae, qua Plautum eiusque imitatore Terentium aliquoties vfos videmus, vbi indicare voluerunt, insolens aliquid et inopinatum et incredibile fieri. Tunc enim Terentius hanc vsurpat formulam: *quid illum censes?* Andr. 5. 2. *quid illas censes?* Adelph. 4. 5. Plautus vero: *quid illum putas?* Trin. 3. 3. 82. *imo vt eum credis?* Bacchid. 2. 2. 50. *imo vt illam censes?* Curc. I. 1. 59. et alibi. Quibus in formulis infinitivus deest, vel ex praecedentis sententiae verbo repetendus, vel cogitatione supplendus, veluti *facere, dicere, sentire, affectum esse*. Non igitur dubito, quin noster hic similiter loqui voluerit. Sed cum pro accusativo personae

posuerit nominativum, si sana lectio est, oportet suppleri tale quid: *non faciunt, vel non audent imperare tributis*. Fieri tamen potuit, ut Plautus scriberet *quid istas*, omisso vocabulo *censes*, ita ut plena esset sententia: *quid istas censes tributis imperare*. Vtroque modo iusta et perspicua est verborum comprehensio. Ex usitato enim in hac formula usurpanda more, ille qui attentionis et admirationis excitandae gratia interrogaverat, ipse solet responsionem subiungere, ut hoc in loco: *Tunicam rallam* etc. Quod si vero aliquis istam accusativorum congeriem positam esse velit in appositione cum praecedenti vocabulo *nomina*, is debet statuere, responsionem sequi demum versu 51. poetamque longae interpositionis culpa oblitum coeptae verborum structurae pro *his vocabulis* scripsisse *haec vocabula*. Ut vero nos vno labore duas aerumnas absolvamus, in medium afferamus vernaculam eorum versuum, quibus mundus ille muliebris describitur, interpretationem:

It's zu glauben, was für neue Namen alle Jahre sie
Auserfinden? Kleid von Petinet, Cannefas, ausgeschnitten Tuch,
Negligeekleid und Brodure, baille oder orange Kleid,
Unterröckchen, Unterschleppchen, Schleyer, fremde und Galla
Tracht,
Schillerfarbig und gemuffert, wachs- und honiggelb. Dummzeug!
Selbst vom Schaafte wird ein Nam' entlehnt. *Ep.* Der ist?
Per. Merinokleid.
Solche Wörter stürzen ihre Männer völlig in Ruin.

EPID. III. 1. 12.

Str. *Vae tibi muricide homo!* Ch. *qui tibi lubet mihi
male loqui?*

Interpretes saepissime prae nimio altercandi studio non solum meliora aliorum inventa superbe reiicere, sed etiam deteriora eorum loco reponere, in vulgus notum est. Id hoc in loco Salmasio accidit, qui pro vocabulo *muricide*, quod a Scaligero haud inepte cum graeco *μυοκτόνος* comparatum fuerat, legendum esse censet *muricide*, tam praeposito iudicio, ut mirari docti viri incogitantiam non satis possumus. Vt enim taceam retenta veteri lectione trochaici versus numeros multo facilius decurrere nobis videri, id nos maxime male habet, quod ita senescentis latinitatis vocabulum antiquissimo obtruditur scriptori. Nam si Salmasius hac sola re offendeatur, quod a latinis auctoribus *muricidus* non magis dicatur, quam *parricidus*, facilis et in promptu medela erat, quam huic vocabulo, si genuinum est, utique adhibendam esse censemus, ut pro *muricide* scribatur *muricida*. Sed longe difficilium dictu videtur, quid hoc vocabulo, a poeta semel tantum usurpato, a graecis autem nusquam *μεταφορικῶς* accepto, significetur. Reperiuntur quidem nonnulli, qui auctorem Festum, si veram exhibuit Plauti scripturam, secuti, *muricidam* hic intelligunt ignavum, stultum et inertem hominem; sed an satis recte et subtiliter, id vehementer dubito. Et si enim non negaverim, posse hominem, qui lingua fortis, manu et opera imbecillus sit,

vbi de rebus in bello strenue gerendis sermo est, muricidam potius quam homicidam appellari; tamen quomodo illud nomen in hominem cadat, qui nullam prae se tulit fortitudinem, sed non esse in se minimum auxilii aperte fassus est, id non perentisco. Quare ego quoque de veritate vocabuli *muricide* dubitare occoepi, et deliberare, an non potius legendum sit *morticine*. Hoc enim convicium, quo Plautus in *Perfa* II. 4, 12. utitur, in eos cadit homines, qui quasi mortua cadavera, non pallidi, (haec enim vocabuli vis certo caret argumento) sed inutiles plane et nulli rei sunt.

EPID. III. 4, 25. 26.

— — — — Pe. non edepol scio.

Molestum non est, nisi dicis, quid velis.

Vt in plerisque orationis Plautinae explicationibus Gronovius et ingenii sui sagacitatem et doctrinae subtilitatem egregie probavit, ita in numeris ad artis leges refingendis negligentius versatus est. Vtriusque rei documenta hic locus affert. Acute enim hoc intellexit Gronovius, illorum verborum hanc esse debere sententiam: haud possum tibi dicere molestumne sit futurum an non, nisi prius loquentem audivero. Sed cum ita extremum versum constituit: *Molestumne sit, nisi dicis, quid velis*, summam metri incuriam prae se tulit, eo magis mirandam, quo facilius

huius loci medela est, si ad hunc modum scripserit poeta existimetur:

Molestum an non est, nisi si dicis, quid velis.

In illo enim indicativo *est* nemo offendet, qui hunc antiquum dicendi usum e Plauto didicerit. Post *nisi* vero saepe excidisse alterum *si* innumeris exemplis doceri potest. Sed hac occasione de eadem fidelia alterum dealbemus parietem. Alium enim versum, quem Gronovius, dum a soloecismo liberare vellet, claudicantem fecit, defendendum esse arbitramur. Quis enim, qui in illo versu Mercat. IV. 3, 34. *Si quid tibi evenit, id non est culpa mea*, haeserit in vocabulo *id*, non amplectendam censeat Gronovii correctionem, scribentis *at non est culpa mea?* praesertim cum inspexerit exemplorum multitudinem, quibus ille elegantem istum particulae *at* usum auctoritate Livii confirmare studuit. XXIV. 37. Sed perdidit vir doctissimus operam. Quotquot enim exempla ibi attulit, ea non nisi hoc demonstrant, enunciationi a particula *si* incipienti solere subiungi aliam cum vocabulo *at*, quando posterior enunciatio priorem tamquam adversam causam et rationem sequitur, veluti in illo: *Si nihil cum potentiore iuris humani relinquitur inopi, at ego ad deos vindices confugiam.* IX. 1. Talis autem sententiarum cohaerentia in Plautino loco non est. Quod si Gronovius reputasset, praetereaue animadvertisset, vocabulum culpa necessario spondaeum esse, haud dubie intactum reliquisset hunc locum, in quo, *id non est culpa mea*, idem valet,

quod, *id non contigit culpa mea*, vt Cic. Orat. II. 4. *Esse enim pro fieri, contingere, evenire* vsurpari tralaticium est.

EPID. III. 3, 87. 88.

*Is etiam sese sapere memorat; malleum
Sapientiolem * * * manubrio.*

Manifestam in altero versu lacunam explere quidem studuerunt Lambinus et Salmasius, sed vterque ita, vt sententiam dicentis perverterent. Neutiquam enim ludificatus senex sodalis sui stultitiam exagitare vult, sed propriam stoliditatem excusare apud sese, et consolari argumentatione a maiori ad minus facta. Quod cum Gronovii acumen fugeret, factum est, vt is quoque incommodam hanc proferret explicationem: *Is etiam sese sapere memorat, quod est perinde, quasi dicas Malleum sapientiolem manubrio.* Nam qui se quoque sapere profitetur, is non ideo se sapientiolem alio praedicat. Emergit potius e tota verborum serie, Periphanem, a seruo suo pessime delusum, id agere, vt aegri- moniam, ex ingenii sui tarditate conceptam, recordatione amici sui, qui plus se sapiendo tamen fraudem illam cavere non potuerit, aliqua ex parte leniat et ex animo expellat. Oportet igitur proverbiali illi locutioni: *malleum sapientiolem manubrio*, inesse significationem rerum non paris dignitatis, sed diversi pretii, vnde appareat, id multo minus a

causa minore esse expectandum, quod a maiore effectum non fuerit. Iam vero etsi ipsum manubrium malleo non sapientius est, praestat tamen in eo, quod commodum aptumque manubrium ad vim regimenque mallei magnum facit momentum. Itaque quum Periphani in mentem venisset, se ad rem difficilem expediendam usum fuisse ope et consilio viri, qui legum et iurium bene gnarus (II. 2, 107.) ad id videretur utilissimus; non mirum esse arbitratur, si illo decepto, se quoque falli passus sit. Quae vis proverbii ut clarius elucescat, censeo interrogandi signum in fine esse ponendum, totum autem versum a poeta ita compositum fuisse arbitror:

— — — — — malleum

Sapientio rem esse manus manubrio?

Hinc facile intelligitur, quodnam vsurpandi huius proverbii consilium et quaenam omittendorum verborum, quae supplenda censemus, causa fuerit. Vocabula enim sibi similia, cum proxime se exciperent, festinantibus librariis saepe lacunarum occasionem dederunt; cuius negligentiae memores critici opportune talia loca integritati restituerunt. Quod nuper etiam sagacissimo Hermanno contigit in loco Mostellariae I. 2, 33. quem ita haud dubie sanavit: *Vsque dum mantant, neque id dum ut faciant faciunt, donicum* etc. Quod denique ad hiatum in secunda thesi attinet, excusatur ille caesura, qua incidente Plautus id saepius sibi sumsit, ut elisionem negligeret, veluti in Poenul. prol. 38. Stich. I. 1, 113. et alibi.

*Vt sine labore hanc extraxi! praefiscine,
Satis nequam sum: vtpote qui hodie inceperim
Amare.*

Gruterus primus fuit, qui videret, quomodo haec verba distinguenda et explicanda essent. Pertinet enim illud *praefiscine* non ad praecedentem, sed ad sequentem enunciationem *satis nequam sum*; qua cum sibi ipse maledicit servus, scurriliter sane et praeter expectationem facit, quod solemnem istam vocem praemittit, qua impensae laudis fascinum a se amoveri vulgus existimabat. Quenam vero illius vocabuli propria vis et significatio sit, nusquam accurate expositum invenimus. Nec veteres Grammatici obscurae rei lucem accendunt. Charisius enim, qui praepositionem *prae* nonnunquam pro eo, quod est *sine*, accipi scribit, cum rem nullis exemplis confirmaverit, fecisse intelligendo videtur, ut nihil intelligeret. Itaque fas sit nostram in medium proferre sententiam. Existimamus autem *praefiscine* ortum esse ex obsoleto aliquo nomine *praefascinum*, quod graeco respondebat *προβασκάνιον*, et indicabat rem quamlibet, qua quis *πρὸ τῆ βασκάνης* ante fascinum, ad occurrendum fascino, utitur. Cuius generis res, veluti *δακτύλιον Φαρμακίτην* et alia amuleta, cum veteres non semper secum et in promptu haberent, satis se tutos et munitos putare poterant, si dicerent, velle se aliquid dictum *praefascino* h. e. quasi adhibito praefascino. Iam cum ablativis nominum

saepissime modus rerum indicetur, facile fieri potuit, ut nomen illud adverbii speciem acciperet et pro praefascino diceretur praefascine s. praefascini.

RVD. III. 4, 3—5.

Daem. *Optime. Lo. istuc volueramus, iube modo accedat prope.*

Daem. *Tunc legirupionem hic nobiscum dis facere postulas.*

Veram huius loci scripturam sine dubio se assecutum esse gloriatur Acidalius, sed frustra, quippe qui praeter violentam versus quarti transpositionem, in eo manifesto erravit, quod versus tertium ita scripsit: *Optime, istuc volueram, iube modo accedat prope.* Quod enim vocabulo *iube* mensuram pedis iambici tribuit, adversus constantem Plauti consuetudinem fecit, qui hunc imperativum ubique pyrrichium esse voluit (exempla multa vide apud Wafium p. 216.). Hoc autem facto coactus est contra omnium librorum et codicum auctoritatem pro *istuc volueramus* ponere *istuc volueram*, eaque verba Daemone adscribere. Quod postremum etsi commodissime fit, incommodum tamen est sequentia *iube modo accedat prope* ab eodem sene dici. Iubere enim non servorum, sed dominorum res est; quare non meminimus loci, in quo herus serio a servo suo

postulet, vt aliquid iubeat. Et si hoc vel maxime in seruum caderet, tamen non apparet, cur dominus hic loci id quod in sua potestate erat, per seruum vellet fieri. Recte igitur iam in antiquissimis editionibus ista verba *iube--prope* Trachalionis sunt, quas quidem Reizius bene secutus est. Neque tamen idem scientissimus Plautinarum dictionum reffitutor totum hunc locum ita expolivit, vt nihil, in quo offendi posset, relinqueretur. Primo enim dubitamus, an illa verba *istuc volueramus* Iorariis convenient, quorum, utpote seruorum, in re ab heri consilio pendente nihilque omnino ad eos attinente, nulla erat voluntas. Hero autem accommodatissima est oratio, qui, cum Trachalionem ei rei, quam iussurus erat, *vos in aram abite sessum*, iam praeveritisse videt, voce factum approbante exclamat: *optime, istuc volueramus*. In plurativo enim numero non esse idoneam causam, cur illa verba Iorariis assignentur, ideo existimo, quod notae illius numeri synecdochae, Ciceronis demum tempore pervulgatae, in antiquioribus scriptoribus atque etiam in nostro, quamquam rariora, reperiuntur vestigia. Deinde vero etiam perire mihi videtur magna orationis facetia, si verba illa: *pugnum in os impinge*, Daemone tribuantur, qui, vt nulla in praesenti lenonis contumelia ad irascendum provocatur, ita ab errore, quo putat, velle Trachalionem cum lenone sacrificare, utique revocandus est; quod fit, si Trachalio dicat: *pugnum in os impingam*. Ob quam iniquitatem, a servi protervia profectam, leno cum Daemone, tanquam eius rei auctore, expostulat:

Iniqua haec patior etc. Itaque textum ita constituendum esse arbitror:

Daem. *Optime, istuc volueramus.* Tr. *Iube modo accedat prope.*

Daem. *Tum' legirupionem hic nobiscum dis facere postulas?*

Tr. *Pugnum in os impingam.*

Ceteroquin negare non possumus, displicere nobis poetae negligentiam in numeris quarti versus adornandis. Et si enim id reprehendere nolimus, quod incisionem in medio vocabulo *nobiscum* fecit, quam rem, in compositis saepius factam, quilibet non nimium morosus facile ferat; tamen hoc loco ineptam iudicamus istam caesuram propterea, quod pausa in fine quarti pedis sententiam ita immutat, ut fenex dixisse videatur: postulas legirupionem vna cum diis facere nobis.

RVD. IV. 4, 99.

Hoc habet: solutum est: ah, perii! video cistellam.

Elegantium vocabulorum locutionumque aucupes raras aut solemnes dicendi formulas tanto in honore fere habere solent, ut eorum vestigia vbivis locorum odorentur, neque dubitent scripturae veritati sententiaeque perspicuitati aper-

tam vim facere, modo id consequantur, ut orationem aliquo lumine scilicet distinguant. Hoc accidit Acidalio, qui censet, Gripum exclamare illud *hoc habet* tralaticio more exultantium, suaeque sententiae Pareum nactus est subscriptorem, qui in Plautino Lexico hanc vocem exultantis esse dicit. Iam vero, nisi me omnia fallunt, intellexerunt isti duumviri eum dicendi morem, qui, e certaminibus gladiatoriiis in vulgi consuetudinem traductus, ab iis hominibus usurpari coeptus est, qui adversarium a se vel ab alio recte et feliciter petitem victumque viderent; quo quidem significato apte usurpatur in Mostel. III. 2, 26. Sed quo sensu nostro in loco Gripus ut herum suum, aut nescio quam aliam personam *hoc* (quasi vulnus) *habere* dicat, quaeve ironia secundum Facciolum hic lateat, scire me iuxta cum ignarissimis fateor. Censeo autem germanam lectionem levissima emendatione posse restitui, si scribatur: *hoc habe*. Est enim hic locus ex iis, quorum intelligentia multum adiuvatur cogitatione earum rerum, quae non dicuntur, sed fiunt. Iussus enim servus ab hero vidulum solvere, aliquamdiu occupatur in revellendis et expediendis viduli vinculis, et re tacite peracta, porrigit tandem hero vidulum his ea in re usitatissimis verbis: *hoc habe, solutum est*. Iam novum fit silentium hero viduli factum perferutante. Sed simulac ille cistellam caudeam extrahere incipit, servus rei gerendae maxime intentus exclamat: *ah, perii! video cistellam*. Herus autem protractam eam ostendens Palaestrae interrogat: *Haecine est?* Sic meo quidem

animo ita procedit omnis oratio, ut naturae consentaneum est. Nec est, quod quis in neutro vocabulorum genere hoc et *solutum* offendat; piget enim id commemorare, quod tironitus de usu huius generis in rebus, quas nominare vel nolumus vel non possumus, satis constat. Proinde meras nugas agunt, qui huius loci auctoritate freti contendunt, vidulum posse etiam neutro genere usurpari, aequaeque illi, qui cum Acidalio *solutu'st* i. e. *solutus est* legere malunt; dicitur enim *solutum est* absque respectu ullius nominis, ita ut supra v. 27. qui *tuum* potius est, quam *meum*? Denique non necesse est, ut interiectionem *ah* cum Reizio post *perii* ponas; quandoquidem constat, poetas pariter atque histriones eiusmodi ἐκφωνήματα ita saepe versibus inferuisse, ut extra numerorum ordinem stare videantur.

STICH. II. 2, 70.

Hercules sane, qui deus sis, discessiffes non male.

Non dubito quin pro *qui* legendum sit *quiqui*. Vulgaris enim lectio *qui deus sis* obscuritate laborat et abhorret a latini sermonis usu. Sed si scribimus *quiqui deus sis*, tum commoda exoritur sententia, et talis, quae a dicendi consuetudine, Romanis pariter atque Graecis familiari, magnopere commendatur. Pro ea enim, qua veteres affecti erant *δεισιδαιμονία*, nihil magis verebatur, quam hoc, ne in colendis diis prae inscientia aut negligentia aliquid de-

liquisse reperirentur. Qui quidem metus ad ipsa deorum nomina pertinebat, qualem Plato in Philebo ed. Steph. II. p. 12. Socrati tribuit: τὸ δ' ἐμὸν δέος, ὦ Πρώταρχε, αἰετὸς πρὸς τὰ τῶν θεῶν ὀνόματα οὐκ ἔστι κατ' ἀνθρώπων, ἀλλὰ πέρα τῆς μεγίστης φόβου. In quibus appellandis ne quam culpam committerent, aut cumulabant cognonima, vnde illa πολυονυμία, aut errorem vitare studebant re deorum arbitrio permittenda, vt Catullus in hymno ad Dianam: *Sis quocunque tibi placet sancta nomine*, vel Euripides in fragmento CLV. σοί, τῆ πάντων μεδέοντι, χοῦν πέλαιόν τε Φέρω, Ζεὺς, εἴτ' Ἀΐδης, ὀνομαζόμενος σέργεις· aut utebantur formula, *quisquis est*, vt Aeschylus Agamemn. 168. Ζεὺς, ὅσις ποτ' ἐστίν, εἰ τόδ' αὐτῶ Φίλον κεκλημένω, τῆτό νιν προσενέπω. et Euripides Troad. 385. ὅσις ποτ' εἴ σὺ, δυσόπασος εἰδέναι Ζεὺς, εἴτ' ἀνάγκη Φύσεως, εἰ τε νῆς βροτῶν, προσευξάμην σε. Itaque si nomini alicuius dei haec formula additur alia eius est significatio, quam si sola vsurpatur. Nam absque nomine dei proprio verba illa *quisquis est* significant id, quod sonant, hoc est veram numinis cuiusdam ignorationem, vt in illo Plauti Rud. I. 4, 37. *nunc, quisquis est deus, veneror.* et Ovid. Met. I. 22. *quisquis fuit ille deorum.* et Virgil. Aen. IV. 576. *sequimur te, sancte deorum, quisquis es.* Sed cum nomine proprio significant animum dubitantis, an non satis et pro dignitate honoret deum aliquem, et cavere volentis, ne videatur numinis gloriae consulto obtrectasse. In nostro vero loco Gelasimus eadem vitatur formula, non religionis sensu aliquo tactus, sed Herculi votum frustra factum exprobraturus,

quippe qui ea re ipse sibi maxime nocuerit; certo enim futurum fuisse, ut si novo lucro Gelasimum beavisset, *quique deus sit*, h. e. si vel maxime honorabilis deus sit, convenientem dignitati et merito suo mercedem accepisset. Ita enim cupiunt irati efficere, ut alios operae non commodatae poeniteat.

TRUCVL. II. 2, 6 — 9.

Id volo scire, quid debetur hic tibi nostrae domi.

As. comprime.

St. Spero meam quidem hercle: tu quae solita es comprimas.

Imprudens per ridiculum ut rustico suadet stuprum!

As. Iram dixi. St. ut esse coepisti, si dem, si est una altera.

Et si comicis poetis familiare est risus gratia διπτολογεῖν, prudenter tamen cavere solent, ne ipsi ambiguitatis verborum suorum interpretes sint, quam rem spectatorum acuminis sensuique merito relinquunt. Itaque nihil fieri potuisset insulsius, quam si versum octavum Plautus Strati-laci in os dedisset, praesertim cum obscœna illa verbi comprimere significatio pervulgata esset. Accedit, quod eius versus interpositione vivida et naturalis orationis progressio male interrumpitur, quippe cum Astaphium, pudicam ancillam, non exspectare decebat, donec ille propudiosus

homo deridendos propinaret ipsius sive mores sive ingenium, sed statim eius compefcere oportebat lasciviam his verbis: *iram dixi*. His rationibus inducor, vt integra versus octavi verba male seduli interpretis esse existimem. Cuius generis interpretamenta passim in Plauto inveniuntur; quale illud est, quod praestantissimus Hermannus nuper in Menachm. IV. 2. v. 17 et 18. reperit, vnde, nobis libenter assentientibus, eiicienda censet illa verba: *quippe qui pro illis loquantur male quae fecerint*. Hoc enim nihil moramur, quod versus ille, de quo agimus, paene iusti trochaei mensuram habeat, probe scientes, in sermone familiari imprudentibus saepe integros versus excidere, trochaicos potissimum, qui numerus solutae orationi simillimus et vltimissimus est. Deinde haereo in versu septimo, de cuius extremis verbis neque Lipsio assentire possum, nimis audacter corrigenti: *te qui solitu'st comprinat*; neque adeo Grutero, qui leviori quidem emendatione vocabulum *quae* in *quem* mutavit, neutiquam vero mihi persuasit, comprimere etiam de mulieribus dici; id quod huc loci eo minus quadraret, cum ancilla non dixerit, quid factura ipsa sit, sed quid fieri velit. Ac mihi quidem videntur ista verba tribuenda Astaphio, iratae ob illam Stratilacis proterviam, eamque ita compefcantis, vt dicat: *tu quae solitu's comprimas, iram dixi*, h. e. quaecunque ea sint, quae tu soleas comprimere (neutro enim genere utitur pudoris gratia), ego certe nihil aliud intellexi, nisi iram. In nono denique versu, quem Gronovius, nulla metri ratione habita, et nimis violenter

correxit, nihil mutandum cenſeo, praeterquam *ſi dem*, aut vt alii libri habent *fidem*, pro quo reponendum exiſtimo *fidam*. Vnde hanc commodam oriri ſententiam nemini non apparebit: *fidam* orationi tuae, qua te non ſtuprum intellexiſſe ais, ſi praeter te vna ſaltem inueniatur mulier, quae ſe tam modeſtam et pudicam praebet, vt tu eſſe coepiſti. Quibus quidem verbis bene reſpondet Aſtaphii ſententia: nimis hic quidem truculentus. Niſi igitur fallor, totus iſte locus ita erit ſcribendus et diſtinguendus:

Id volo ſcire. Quid debetur hic tibi noſtrae domi?

Aſt. Comprime. St. Spero meam quidem hercle. Aſt. Tu quae ſolitus comprimas.

Iram dixi. St. Vt eſſe coepiſti, fidam, ſi eſt vna altera.

Sed manum de tabula! Fungendum enim nobis publico officio eſt, et producenda in conſpectum ciuitatis iuuenum liberalibus ſtudiis florentium catervà, qui nobis viam ad ſapientiam monſtrantibus per omnem honeſtarum artium cultum pueritiam adoleſcentiamque ita tranſegerunt, vt non in palaestra ſplendere, ſed in vita vtilis eſſe vellent. Quod quidem laudabile conſilium vsque eo ex ſententia noſtra peregerunt, vt partim digniſſimi, partim non plane in-

digni viderentur, quibus reconditorum literarum magistri extremam instituendi operam navarent; cuius fruendae cupidissimi alii ante diem ei rei praestitutam scholam cum academia permutarunt:

FRIDERICVS ADOLPHVS TRAINER,
Triptisiensis.

CHRISTIANVS GOTTLOB ROSSBERG,
Lipsiensis.

AVGVSTVS GVILIELMVS SCHMID,
Lipsiensis.

MAVRITIVS FRIDERICVS FERDINANDVS
IVNGHANS,
Eibenstokiensis.

IOHANNES MICHAEL CAROLVS ZANDER,
Prettinensis.

ADOLPHVS TRAVGOTT KIEZ,
Lindenaviensis.

FRIDERICVS FÜRCHTEGOTT LEBERECHE
GEISSLER,
Pretzfchensis.

ERNESTVS HENRICVS HERMANNVS FEINE,
Oberwündschie Thuringus.

IVLIVS FERDINANDVS GROH,
Oelsnitiensis.

CAROLVS TRAVGOTT HENRICI,
Lunzenaviensis.

CAROLVS AVGVSTVS CHRISTIANVS GOLZ,
Lipsiensis.

PAVLVS HENRICVS KÜPPER,
Lipsiensis.

GVILIELMVS AVGVSTVS REVSSNER,
Liebenwerdanus.

alii propediem scholam relicturi sunt:

MAVRITIVS HASPER,
Eilenburgensis.

FRIDERICVS CHRISTOPHORVS THOMAE,
Schoenewerdanus.

CHRISTIANVS FRIDERICVS LANGE,
Kolkaviensis.

CAROLVS FRIDERICVS FREIESLEBEN,
Roedanus.

IVSTVS GVILIELMVS MARTINVS RADIUS,
Lipsiensis.

eo proposito, vt quatuor postremi oratiunculis, italico, latino, graeco et anglico sermone habendis, suorum studiorum publicam rationem reddant, primus vero FRIDERICI AVGVSTI laudes latinis verbis celebrare conetur. Quibus iuuenibus si MAGNIFICI ET ILLVSTRES VTRIVSQUE REIPVBLICAE PROCERES, aliique scholae FAVTORES EXCELLENTISSIMI benevolas aures applicare voluerint, non solum gratum nobis facient, sed honorem ab ingenuis literis ad ipsos delatum, vicissim iis exsoluere videbuntur.

eo propo
lico, lati
rum stud
vero FR
fibus cele
FICI ET
RES, alii
nevolas a
nobis fac
ipfos dela

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

A	1	2	3	4	5	6	8	9	10	11	12	13	14	15	17	18	19
		R	G	B			W	G	K				C	Y	M		
		●	●	●	●	●	●	●	●	●	●	●	●	●	●	●	●

atiunculis, ita-
habendis, suo-
ddant, primus
des latinis ver-
nibus si MAGNI-
BLICAE PROCE-
LENTISSIMI be-
t solum gratum
nuis literis ad
idebuntnr:



